

S a p e r d a   Q u e r c u s .

Sap. atra, subtus flavido-, supra griseo-tomentosa, vertice lineolis quatuor, thorace tribus, elytrisque punctis tribus flavis.

Habitat in Hungaria, unde ab entomopolis Viennensibus mihi est missa.

Superdae populneae affinis, sed major et statura latiore.

Caput atrum, profunde punctatum, facie flavo-hirsuta, in vertice lineis duabus flavis, ab oculis ad thoracem ductis et aliis duabus parvis in dorso verticis. Antennarum articuli in basi cinerei, in apice atri.

Thorax cylindricus, in medio paullo incrassatus, punctis magnis, numerosis impressis: subtus flavidotomentosus, supra lineis tribus flavis distinctis, continuis, longitudinalibus.

Elytra oblonga, apice integro; atra, pilis minimis canescentibus subtomentosa, punctis numerosissimis, profunde impressis: maculis tribus (nec pluribus) distinctis flavis in singulis elytris, e pilis parvis densis confectis.

Abdomen subtus cum pedibus atrum, flavidoviridique griseo tomentosum.

Differt a S. populnea praeter magnitudinem plerumque amplioram: punctorum impressorum numero majore et punctura profundiore: lineis in vertice quatuor distinctis, quarum in S. pop. duae tantummodo, eaeque magis obsoletae sunt: pilositate elytrorum fortiore: maculis elytrorum solummodo tribus, quarum in S. pop. quatuor vel plures interdum adsunt.

---